

## CAPUT XLIII.

## DE PETRO.

**P**etrus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, & Casinensis Monachus, parvulus & ipse in Casino suscepitus, rogatu Petri Diaconi, ac Bibliothecarii, passionem Beati Marci versibus adoravit.

## ANNOTATIO.

**P**etrus S. R. E. Subdiaconus Cardinalis appellatur ab Arnoldo Wione lib. 2. cap. 9. Lign. vit. à quo autem Pontifice promotus, ignoratur, verum ab Arnoldo pereram nuncupatur S. R. E. Subdiaconus Cardinalis, cùm in tabulis Ecclesiasticis, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Ecclesia Romana tantummodo legantur. Vivebat anno Domini MCXX.

## CAPUT XLIV.

## DE RAYNALDO.

**R**aynaldus Casinensis Subdiaconus parvulus Beato Benedicto oblatus, vir valde eruditus, & versificandi scientia antiquis per omnia comparandus, scripsit ad Petrum Diaconum ac Bibliothecarium Sanctissimi Severi Casinatis Episcopi in laudem versus: Versus quoque de vita Beati Benedicti, ac Beati Mauri. Hymnos in laudem Sancti Confessoris Christi, atque Pontificis Severi.

## ANNOTATIO.

**H**ymni excusi sunt in Breviariis Casinensis anno MDLXVIII. & MDLXXII. Vide quæ de Raynaldo notarunt Arnoldus libro 2. cap. 9. Lign. vita. Vossius de histor. Latin. lib. 3. cap. 7. pag. 713. & Camill. Peregrin. histor. Princip. Langobard. in serie Abbatum Casin. in Raynaldo.

*Ex Supplemento Petri Diaconi de Viris Illustribus.*

## CAPUT XLV.

## DE GELASIO.

**G**elasius Sedis Apostolicæ Pontifex, parvulus in Casino sub Desiderio Abate Beato Benedicto oblatus, & ab Alberico Philosopher edoctus. Scriptus in codem Cœnobio positus passionem Sancti Erasmi, Sanctæque Anatoliæ: passionem quoq; S. Cæsarii versibus adoravit. Factus dehinc S. R. E. Canceller-

A' rius descripsit Registrum Paschalis Papæ II. Demum vero in Apostolica Sede Pontifex factus, Henricum Imperatorem propter investituram Ecclesiarum excommunicavit, atque pro ordinandis Ecclesiasticis negotiis Galliam ingressus, apud Cluniacense Cœnobium obiit.

## ANNOTATIO.

**A**ntea Joannes Cajetanus, natione Campanus, Crescentii filius, nobili genere ortus, ex S. R. E. Subdiacono, & præsignatore Urbani II. Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & S. R. E. Cancellerius, ac Biblioth. Paschali Papæ II. gratissimus extitit, cuius senectus baculus vocabatur; demum Pontifex sub Gelasi II. nomine creatus ann. 1118. die 22. Januar. justitiae pater acclamatus. Post annum, & dies aliquot Pontificatus, agens Matitcone, in pleurem incidit, justisque se lectica ferri in Cluniacense Cœnobium, ubi mortem oppedit 4. Kalend. Febr. anno 1119. meritis inclitus, ac sanctitate insignis: strato humi corpore cinere ac cilicio cooperito, postea sepulso in monumento marmoreo opere Tufo, & lapide candido, cui Petrus Piætavensis cognovit Venerabilis Abbas Cluniacensis, ac coetaneus nostri Gelasi sequens epitaphium posuit:

*Vir gravis & sapiens, aetü, verboquo Joannes, Cum prius ex Monacho, pro multa strenuitate Archilevita foret, & Cancellerius Urbis, Præfule Paschali meritis ad sydera rapto, Promeruit tandem sacram descendere sedem, Dignus post primum Gelasius esse secundus. Sed, quia Rege fuit non præcipiente levatus, Horrendum fremuit Princeps: Et filia dulcis, More suo, profugum suscepit Gallia Patrem, Si licuisset ei (pro certo crede) sub ipso Virtus, & pietas, & honestas cresceret omnis, Et pax Ecclesiæ toto floraret in Orbe.*

**D**Nam rapuit mors atra virum, cum Pontificatus Vix ageret primum Pastor Venerabilis annum; Bina dies jam restabat, cum Cluniacensi Dormiit in proprio Romani Juris Asylo. Hic igitur positus dilectos inter alumnos, Cum Patribus sanctis requiescit, & optat ut orbis Conditor, & Judeus veniat quandoque potenter, Et cineres lapsos in pristina membra reformat. Felix inde nimis semper Cluniace manebis, Quod Pater Orbis Apostolicus summusq; Sacerdos Ecclesiæ, matrisque tuae specialis, apud te Transiit ad superos, in te requiescit humatus. Nec minus hic etiam felicem credimus illum, Cui dedit ipse pius magno pro munere Christus Ut Monaci Monachum Patrem quoque pignora cara Jugiter aspicerent lachrymisque rigando sepulcrum, Sacris in precibus specialem semper habent.

**E** De laudibus Gelasi hæc notavit Card. Baronius anno 1119. Post Martyres, qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vita tempore majora sit passus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus. Gelasius Sanctum Joannettus nuncupat, virum San-